



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno CCCCLI. ad annum CCCCLXXV.

Parisiis, 1644

Epistola V. Hilari papæ ad Leontium episcopum Arelatensem.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14887

bus & relationibus persæpe oppleri, adeo ut bonos atque innocentes Pontifex ex quandoque ex malis informationibus condemnent ac opprimant. male narratis, male potest indicate in causis factis.
Nemo ergo miretur, quod sanctus Leo Hilarum Arelatensem, Hilarius pontifex Mamertum Viennensem, episcopos sanctitate celeberrimos acerbe exagitarint: cum & in his quæ contentiosiora sunt, facillimum sit sub specie recti vnumquemque decipere.

⁴ *Nolumus ecclesiæ priuilegia confundi.*] De priuilegiis ecclesiærum antiquitus concessis nihil innouandum esse, non tantum decretis pontificum, verum etiam publica sanctione Marciani imperatoris constitutum fuit. *Priuilegia*, inquit lib. 12. cap. de sacrofæcta ecclesia, quæ generalibus constitutionibus uniuersis ecclesiæ orthodoxæ religionis retro principes præstiterunt, firma & illibata in perpetuum decernimus custodiri. Omnes sane pragmáticas sanctiones, quæ contra Canones ecclesiasticos interuenient gratia vel ambitionis elicite sunt, suo robore & firmitate vacuatas esse precipimus, &c. Quid de priuilegiis inuiolabili custodiendis leniterit sanctus Leo, ex eiusdem epistolis 53. 54. 55. 89. & 109. cognoscere licet.

EPISTOLA V.

HILARI PAPÆ

AD LEONTIVM EPISCOPVM ARELATENSEM.

De episcopatus sui primordiis.

Dilectissimo fratri Leontio, Hilarus papa.

QUANTVM reuerentia in spiritu Dei, qui subditos sibi inhabitat sacerdotes, beato Petro apostolo & sedi ipsius deferatur, omnibus arbitror esse compertum, quibus paternarum traditionum incorrupta custodia est. Quos cum volumus de nostræ ordinationis primordiis gratulari, opera quæ in nos diuinæ pietatis dignatio ostendit, sanctitati tuæ duximus indicanda: vt ipse primum pro eo quem nobis inuicem semper impendimus, præstante Domino, læteris affectu: deinde ut dispositione tuæ fraternalis omnibus per vniuersam prouinciam fratribus & consacerdotibus innotescat, quod humilitatem meam dextera Domini visitare dignata sit, & mihi apostolicæ sedis regimen non pro merito, sed pro suæ gratiæ abundantissima largitatem commiserit. Proinde, frater carissime, quod sanctitati tuæ præsenti sermone patefecimus, in omnium fratrum, quemadmodum diximus, notitiam deferre dignaberis: ut supplicaturi Domino nostro Iesu Christo, sicut exultationis gaudia, ita profutura vniuer-

Concil. Tom. 9.

N n ij

fali ecclesiæ orationum suarum nobis vota coniungant.
Deus te incoludem custodiat, frater carissime. Data V III.
Kalendas Februarias, D N. Seuero Augusto consule.

NOTA.

Epistola.] Hæc epistola circularis est & encyclica, ex more & consuetudine de noui pontificis creatione ad omnes ecclesiæ transmissa.
Hæc eiusdem argumenti, corumdemque verborum ad Leontium scripta, extat in vetere codice Arelatensis ecclesiæ, vnde cum sequentibus omnibus acceptæ, ab illustrissimo cardinale Baronio primum in lucem emissæ inueniuntur.

EPISTOLA VI.
H I L A R I P A P Æ
A D L E O N T I V M.

Respondet ad literas Leontii, quas scriperat cum præcedentem Hilari epistolam nondum accepisset.

Dilectissimo fratri Leontio Hilarius papa.

DILECTIONI meæ, quæ circa ecclesiæ Gallicanas, omnesque in eis Dominis sacerdotes, etiam in inferiori gradu positos, abundat, multum accedit augmenti, quod per virum spectabilem Pappolum filium nostrum sermonis tui ad me sunt delata principia. Ex quo tamen coniicio, paginam meam, quam dudum de episcopatus mei primordiis misi, nec dum traditam tibi fuisse cum scriberes; de qua utique non filuissem, nisi per latorem aliqua causa tardasset. Vnde quod & consuetudo poscebat, & caritas, iampridem me executum fuisse significo, & hoc ipsis literarum exemplaribus, quæ direxi, plenius nosse vos cupio; vt officio fraterno in nullo intelligatis fuisse me desiderem, & ita vicissim frequentandis studeamus alloquiis, vt vicem nobis communis praesentiæ scribendi cura compenset, frater carissime. Affactus itaque tui gratiam perire non passus es, quod ei sollicitudini intentum te esse cognosco, vt custodiendis paternorum Canonum regulis studere me cupias. Quo desiderio nihil concipi salubrious potest, quam vt in una ecclesia, cui oportet nec maculae aliquid inesse, nec rugæ, una sit in omnibus obseruatio disciplinae. Cui si aliquid eruditio-
nis aut correptionis addendum est, rectissime per vestram